

(inquit) *eadem facite illis*, (servi scilicet) *remittentes minas, scientes quia et illorum et vester Dominus est in caelis*. Unde Macrobius, lib. I. Saturn. cap. XI. « Hinc nostri majores, inquit omnem dominis invidiam, omnem servis contumeliam detrachentes, dominum patremfamilias, servos familiares appellaverunt. » Ex eodem nomine patrumfamilias docet August. lib. XIX. de civ. c. XVI. servos esse tractandos quasi filios et fratres. Sane Christus perfidum de familia sua Judam in ipso prodicionis scelere amicum appellavit. Viderint heri, qui servos non nisi furciferos et nebulones sciunt appellare.

IV. Viderint servi, quomodo et ipsi respondeant Christo Domino visitato vineam suam. Primo, ut ne otientur sed laborent dominis suis. Si enim increpati sunt, qui in foro nondum conducti steterunt otiosi: quanto magis increpati fuissent, si in vinea sic stetissent? Increpandi ergo jure servi cum sibi dominos non quaerunt; sed malunt otiano stipem colligere, magis vero cum conducti otio se dedunt. Ad mercedem vocati sunt operarii, non otiosi, non stertentes: itaque sicut servi mercedem suam certam habere volunt, ita ab eis domini non injuria exigunt certa eorum servitia, quae si non praestent ipsi, ne mirentur, si objurgantur.

Secundo, ut ne murmurent contra dominos suos: audivimus enim objurgatos esse in hodierno evangelio, qui murmurarunt contra patremfamilias: *An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?* Non possunt ex aequilibrio omnia administrare domini: nec mirum si interdum uni magis faveant quam alteri. Tu si tibi tuum reddant, esto contentus.

Tertio, sint contenti sua mercede et de bonis domini plus sibi non vindicent. Audiunt enim patremfamilias operario plus exigenti, quam conventum erat, dicentem: *Amice, non facio tibi injuriam, tolle quod tuum est et vade*. Quod tuum est, inquit, tolle, non quod meum est.

V. Viderint justii, ut in vinea Domini strenue laborent, memores se ad laborem non ad otium vocatos esse. Habent enim exemplum Christi, qui et ipse in hac vinea plus omnibus laboravit, et ligonem crucis humeris suis extulit nobis in exemplum. Severus imperator, teste Spartiano, militibus suis hoc symbolum dedit: *Laboremus*. Idem nobis Christus dedit, cum in hodierno evangelio misit nos in vineam, in quam ipse prior de caelo venit. Habent deinde pro mercede regnum caelorum, idque jam paratum, non diu expectandum, uti erat olim Judaeis. Habent denique quod metuant, ne ab aliis multis praeviantur, qui serius venerunt ad laborem, uti in hoc evangelio contigit.

Secundo, ut honesto et justo labori, ac si fieri potest, non periculoso vacent, veluti agriculturae, piscaturae, pascendis gregibus et similibus artibus, quas natura docuit, et ab otio et injuria proximorum longius removit. Deus certe in paradiso agriculturam instituit. Hebraei inde usque dum regem peterent, ex pecorum et agrorum cultura victitabant. Nunc autem fere amantur artes vel illicitae vel periculosae, quibus cito et praeter laborem, ac cum aliorum damno homines ditescant, uti mercaturae, militia, praefecturae vel advocatae, lucra sensuum et usurarum, etc.

Tertio, ut in suo labore ad vesperam usque, id est, vitae finem perdurent. Scimus enim tuum demum vocatos ad mercedem operarios: *Cum sero esset factum*. Si quis ante vesperam e vinea discessisset, mercedem non accepisset. Diabolicus illa serpens calcaneo insidiatur, uti fecit Christo, cum ex ore Judaeorum ei occinuit: *Descende de cruce*. Sed surdo cecinit miser. Christus in cruce laboravit, usque dum sero factum esset: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, Matth. XXIV.

VI. Viderint peccatores primo, ut ne animis concidant, si in peccatis consenserunt. Scimus enim patremfamilias non solum hora prima, tertia, sexta et nona, sed et undecima exisse ad vocandos operarios, eosque sua industria moram compensasse. Quare si in pueritia, velut hora prima, non coepisti servire Deo, incipe hora tertia juventutis; si et hanc praeteristi, incipe hora sexta, aetatis scilicet virilis; si et haec praeteriit, veni ad vineam Domini hora nona senectutis; quod si et ista transiit veni saltem hora undecima circa vitae periodum. Duodecim enim sunt horae diei, modo ne exspectes donec sonet duodecima, quando venit nox, ubi nemo potest operari. Tota die expandit manus suas Dominus ad te excipiendum, ab hora prima ad duodecimam, Is. LXV.

Secundo, ut ne temere sibi fidant et differant venire, postquam vocati sunt. Licet enim Dominus promiserit se recepturum te ad vineam, si vel hora undecima veneris, non promisit tamen se vitam tuam eousque dilaturum. Vocati operarii omnes ad vineam perrexerunt, nullus distulit: ita et tu fac. Caveto vero imprimis ne ad ultimam illam horam differas penitentiam. Non enim frustra solos illos objurgavit patremfamilias, quos invenit hora undecima: *Quid hic statis tota die otiosi?* Quid enim stertetis, quae non vivas? Quid si Deus tunc vocet te? Quid si tu vocantem non audias, impeditus aliis negotiis, quemadmodum potatores multi cum in tabernis haerent vino sepulti vel aleis addicti evocantes uxores nec audiunt nec sequuntur? Non existimavit Adam tam

cito se a Deo requirendum et vocandum ad rationes: alioquin non ita perturbatus fuisset viso ejus adventu, non fugisset, non se abscondisset; et forte cautius ei respondisset ac veniam petisset. Idem contingit iis, quibus occidit sol in meridie, et mors inexpectata venit.

Audiamus ergo monentem hodie Ecclesiam: *Præoccupemus faciem Domini in confessione*, ne videlicet subito præoccupati (uti eadem canit dominica prima quadrag.) *quaeramus spatium penitentiae et invenire non possimus*.

CONCIO X.

MYSTERIA.

I. Quis parabola scopus? — II. Quis paterfamilias? — III. Quae vinea? — IV. Quomodo exiit paterfamilias? — V. Quid quique ejus exitus? — VI. Quam operarii? — VII. Cur alii mercede conducti, alii non? — VIII. Quae merces et denarius? — IX. Quando data merces? — X. Quomodo novissimi primo capiunt mercedem, et quomodo plus lucrati breviori labore? — XI. Quid murmur primorum? — XII. Quis vineae procurator?

THEMA.

Ite et vos in vineam meam. Matth. XX.

Parabola hodierna si parabolicum quid praemittam, non male me acturum arbitror, auditores; ferunt ergo agricolam quemdam vita excessurum voluisse filios suos excitare ad laborem et sedulam agriculturam, hac excogitata stropham: *Filii mei*, inquit, *ego jam e vita discedo: vos autem si quae in vinea nostra a me occultata sunt quaesieritis, invenietis omnia*. Illi igitur rati thesaurum illic defossam esse, omnem vineae terram post interitum patris effoderunt, ac thesaurum quidem nullum invenerunt; sed vinea pulchre fossa multiplicem fructum reddidit. Christum patrem esse nostrum vel infantes norunt, discessit ille a nobis cum in caelum abiit, sed reliquit tamen agrum seu vineam pulcherrimam, sacrum inquam evangelium et in hoc thesaurum, vitam et doctrinam suam. Quid igitur nos filii? Thesaurum patris volumus? Quaeamus in evangelio; illic eum defodit. Ac licet ibi aurum et argentum minime inventuri simus; reperiemus tamen doctrinas salutare, auro pretiosiores, si sedulo quaesierimus. Ergo ad ligonem, quaeramus thesaurum.

I. Quis parabola hodierna scopus? Respond. ex praemissis colligendum. Dixerat Dominus, Matth. XIX. apostolos, qui reliquisset se dicebant omnia, sessuros tamquam judices in sedibus

duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Unde non obscure praetulit eos patribus veteris legis; ideo mox subjunxit: *Multi autem erunt, primi novissimi, et novissimi primi*. Ut ergo hoc clarius ostenderet, attexuit hanc parabolam, qua declarat operarios novae legis tempore quidem posteriores, merito tamen priores illis futuros. Eo tendunt illa Christi verba: *Beati oculi qui vident, quae vos videtis; dico enim vobis quod multi prophetae et reges voluerunt videre, quae vos videtis, et non viderunt, etc.* Luc. X. et illa apostoli: *Hi omnes (veteres patres) testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, etc.* Habemus ergo quod Deo gratias agamus, qui in nova potius, quam in veteri lege vocare nos ad vineam voluit, ubi minore et breviori labore plus lucrari possumus quam illic potuissemus.

II. Quisnam paterfamilias? Respond. Deus pater est, qui Ecclesiam suam a se creatam non tantum ut Dominus et rex, sed etiam paterfamilias singulari cura et providentia gubernat, nosque ut domesticos et cives suos tractat, juxta id Ephes. II. *Jam non estis hospites et advenae, sed cives sanctorum et domestici Dei*. Habet porro hic paterfamilias non unam, sed tres familias maximas diversissimas et a se invicem disjunctissimas. Prima est filiorum, secunda liberorum, tertia mancipiorum. Prima versatur in caelesti Dei palatio, secunda in inferiore ejus domo, tertia in stabulo et carcere. In prima sunt beati, in secunda sumus nos, in tertia sunt damnati. Primam pascit melle et ambrosia, potatque torrente voluptatis; secundam pascit partim melle partim felle, suavi temperatura mixtis; tertiam pascit felle amaritudinis, pane tribulationis, et aqua lacrymarum. Haec illae tres familiae sunt de quibus apostolus ad Philippenses II. ait: *In nomine Jesu omne genua flectatur caelestium, terrestrium et infernorum*.

III. Quenam illa vinea? Resp. esse Ecclesiam Dei. Primo, quia uti vinea vitibus ordine consitis plena est, ita Ecclesia fidelibus, sicut castrorum acies ordinata. Secundo, sicut singulae vites singulis palis affixae sunt; ita animae fidelium baculo crucis seu meritis Christi adherent, sine quibus nihil virium haberent, et omnes earum botri, opera inquam bona, in terra putrescerent. Tertio, vites proferunt uvas, primo quidem, acris saporis ac duras, quas tamen paulatim ad maturitatem perductas, dulci liquore imolent tandemque ex iis vinum fundunt in torculari, ita fideles quoque fructus bonorum operum gignunt vel saltem gignere debent, qui initio quidem amari sunt et duri, utpote carni repugnantes; usu tamen et assuetudine paulatim fiunt dulces,

amque copiosi et perfecti, ut suo vigore et splendore alios etiam exhilarare et roborare ad virtutem queant, adeoque vinum boni exempli propinari.

Hæc est illa vinea, de qua Isa. V. agitur. Ejus seps est custodia ss. angelorum, deinde lex et præcepta Dei atque Ecclesiæ. Turris seu specula est dignitas pontificia, in qua summus Ecclesiæ vigil excubat, omniaque circumspicatur et regit; deinde sacra Scriptura, ad quam in nostris dubiis et necessitatibus confugimus indeque nobis providemus. Vigil in tali specula perspicacem habere visum debet: ita qui Scripturas interpretatur, eruditionem. Torcular est crux Christi et jugum ejus suave, quo dum premimur, dulcissimum patientiæ et aliarum virtutum liquorem fundimus; deinde altare seu altaris sacrificium, per quod exprimitur quasi continuo pretium sanguinis Christi ad emundationem nostram; dum ineruento modo peragitur, (quod actum est in torculari crucis modo eruento.)

IV. Quomodo exiit paterfamilias? Resp. duplices Dei esse actiones, alias ad intra, ut cum a Patre gignitur Filius, et cum ab utroque procedit Spiritus sanctus: quæ actiones quia nobis nulla ratione innotescunt, intra Deum fieri dicuntur, et in his Deus in se manet, non exit ad creaturas. Alias ad extra, quibus Deus extra se operatur aliquid et notificat se creaturis suis; has cepit in creatione et continuat hucusque atque in his exire dicitur. Exiit ergo paterfamilias Deus in hodierno evangelio, cum vocavit operarios sive interna motione, sive concionatorum voce, sive aliorum exemplo, sive aliis modis, ut irent in Ecclesiæ vineam.

V. Quid sibi volunt quinque patrisfamilias exitus? Resp. Deum quidem omni tempore Ecclesiæ suæ de necessariis providisse, adeoque confugientes ad se nunquam non recepisse, certis tamen temporibus publice et externe per pastores et Ecclesiæ reformatores vocasse ad se homines, prout occasio et necessitas ferebant. Porro licet Ecclesia in Adamo statim et filiis ejus cœperit, sub Abrahamo tamen primum certis ritibus et legibus coaluit et formam Ecclesiæ habere cœpit. Itaque respondeo primo, cum Salmerone horam primam esse temporis Abrahamæ, cum quo pactum sanxit Deus de se colendo, etc. tertiam tempus Moysis, post 400. annos; sub quo iterum missi plurimi operarii, sacerdotes et levitæ, Deique cultus et Ecclesia reformata est: sextam post totidem annos alios tempus Davidis, cui promissio de Christo facta, sub quo plurimi prophetæ, cultus divinus instauratus, templum extractum a filio, cui ipse sumptus templi suppeditat: nonam rursus post 400. fere annos tem-

pus transmigrationis in Babylonem et reditus in Jerusalem; tunc enim missi erant in vineam Domini Jeremias, Ezechiel, Daniel, Zacharias, Aggæus, Malachias, Esdras, Nehemias, Zorobabel, Jesus Josedec filius, tunc restauratum templum et cultus Dei renovatus: undecimam tempus adventus Christi, quo tempore operarii Scribæ et Pharisei fere erant otiosi, ideoque a Christo merito reprehensi, Matth. XXIII. *Væ vobis Scribæ et Pharisei hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines! Vos enim non intratis nec introeuntes sinitis intrare.* Porro tunc operarios quam plurimos misit Christus in vineam suam, apostolos scilicet et reliquos Ecclesiæ pastores, de quibus Dominus, Matth. IX. *Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.*

Respondeo secundo, cum Bellarmino et aliis, designari quinque mundi ætates per quinque illos egressus. Itaque totum tempus, quo mundi hujus status permanere et vinea Ecclesiæ coli debet, unius diæi spatio definitur (quia mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesternæ, Psalm. LXXXIX.) « Cujus quidem diæi ab orbe condito usque ad tempora Noe hora prima, secunda et tertia; a temporibus Noe usque ad Abrahamæ vocationem quarta, quinta et sexta; ab Abrahamæ vocatione usque ad Moysen legislatorem septima, octava et nona; a Moysen legislatore usque ad primum Christi adventum, decima et undecima effluerunt; a primo Christi adventu, usque ad secundum hora duodecima ac postrema peragitur. Et quidem hora prima Adam, Seth, Henoch; hora tertia Noe, Sem, Melchisedech; hora sexta Abraham, et cæteri patriarchæ; hora nona Moyses et prophetæ; hora undecima apostoli et eorum successores vocati sunt. Atque hoc est, quod beatus Augustinus, libro altero in Julianum docet, cum ait: Excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas ætates temporum, locorumque distantias, sicut ei placet, atque expedire judicat, ipse dispensat.

Quod vero nunc horæ undecim effluerint, et hora duodecima, atque ultima agatur, et finis diæi, solisque occasus imminet, testis est apostolus Joannes: « Filioli, inquit, novissima hora est. » Sic Bellarm.

Respondeo tertio, cum aliis designari etiam ætates hominum, quæ quinque sunt secundum Yarronem et alios. Prima, pueritia ad annum quartodecimum; secunda, adolescentia inde usque ad annum trigesimum; quarta, virilis ætas usque ad sexagesimum; quinta, senectus usque ad sepulcrum. In prima sol quasi in ortu est: in secunda quasi in ascensu: in tertia quasi in meridie: in quarta quasi in descensu et sub vespe-

rum: in quinta quasi in occasu. Omnibus his ætatibus vocare solet Deus aliquos operarios ad vineam et poenitentiam. Ergo qui prima hora ad vineam Ecclesiæ non ivit, eat hora tertia, etc.

Respondeo quarto, cum Leon. Lessio, l. IX. de perfect. divinis, capit. II. mystice significari quinque egressus Dei seu manifestationes, ad quas eum movit amor. Primo, ad egressum per creationem, qua non solum rebus creatis illustre vestigium suæ potentiæ, sapientiæ et bonitatis imprimit; sed etiam naturæ rationali, angelicæ et humanæ vultus sui imaginem inscribit: absque hoc egressu maneret prorsus ignotus creaturis: quia sine illo nulla creatura potest existere. Secundo, movit ad egressum per gubernationem, qua omnia conservat, movet, perficit, et ad suos fines dirigit. Ex mundi gubernatione ejus præsentia clare cognoscitur. Tertio, ad egressum per mysterium incarnationis, quia Deus factus est verus homo, et corporata est invisibilis divinitas. Hic egressus fuit maxime admirabilis, et maxime ipsius potentiam, sapientiam, sanctitatem, misericordiam, justitiam nobis patefacit. Quarto, ad egressum per doctrinam, illuminationem et justificationem, juxta illud: *Exiit qui seminavit seminare semen suum.* Quinto, ad egressum per infusionem seu communicationem luminis gloriæ, et renovationem totius universi, seu per glorificationem; qua se aperte manifestabit omnibus sanctis, et omnia ad se convertet.

VI. Quinam operarii? Resp. fuisse in veteri lege patriarchas, prophetas, et sacerdotes: in nova lege esse episcopos, concionatores, pastores, doctores. Sciant ergo illi primo, nobilissimum esse munus suum; sunt enim illius vineæ, propter quam Deus omnia fecit, operarii et cultores constituti, imo Dei cooperatores; quod longe est præstantius, quam si in creando celo Deo operam præstitissent. Sciant secundo, se operarios, et operariorum præfectos ac speculatores (uti sonat nomen episcopi) esse ad laborem ab otio, non ad otium a labore vocatos. Sciant tertio, operarium esse propter vineam, non vineam propter operarium; episcopum propter diœcesin, non diœcesin propter episcopum; abbatem propter monasterium, non monasterium propter abbatem, etc. Quarto, vineam non esse suam, sed suæ curæ commendatam, ut de ea quasi locasa suo tempore rationem reddant. Secundario, quivis christiani operarii dici possunt: tametsi enim sæculares ad Ecclesiam excolendam vocati non sunt, vocati tamen sunt ad excolendam animam suam, quæ et ipsa vinea quædam est, qua de re supra diximus.

VII. Cur operariorum primi certa mercede, me-

dii incerta, ultimi nulla mercede conducti sunt? Respondet primo ad hoc Salmeron: « Varia esse hominum genera et quosdam quidem tanquam parvulos nonnisi sub certa mercede facta ad operandum excitari: quales in genere fuerunt patres in lege naturæ degentes. Alii vero sunt proficientes, quibus satis est in genere certo statuere, Deum esse justum remuneratorem, apud quem sicut nullum opus iniquum remanet impunitum, ita et nullum bonum opus absque remuneratione: de quo Paulus: Non est injustus Deus ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. Postremo, alii sunt viri perfecti, qui nihil pasci volentes, divini tantum bonitati et clementiæ confidunt, et isti digni fuerunt majus præmium accipere. Quemadmodum in domo principum qui familiariter in cubiculo principis serviunt, nullum certum habent stipendium, quemadmodum muliones et coqui, sed toti pendunt ex voluntate et munificentia domini, tales sunt viri novi testamenti, qui magnitudine charitatis Dei, et multitudine beneficiorum Christi obruti, oculum claudunt ad quodcumque præmium sive æternum, sive temporale: ita ut si demus (quod tamen fieri nequit) nullum futurum præmium, non propterea et maxima operari ipsi recusarent, et extrema quæque pati propter Christum haud formidarent. »

Respondet secundo, Palacius in Matth. capit. XX. patres antiquos, qui prius vocati sunt, habuisse bona terræ, quæ comederent, labori suo promissa, et hac quasi illecebra ad laborem provocatos esse. At Christiani, qui ultimi operarii sunt et perfectiores esse debent, operari etiam si nulla eis merces promitteretur, parati sunt.

VII. Quæ merces operariorum et quis denarius diurnus? Resp. mercedem exprimi tantum denarium; cibum et potum non exprimi, ut quæ operario ex se certa sint, ut discamus nos solliciti tantum esse de denario regni cœlestis: nam temporalia adjiciuntur nobis, nec in pactum deducuntur. Porro denarius significat primo Christum ipsum. Primo, quia denarius figuram principis expressam gerit: ita Christus *splendor et figura substantiæ Patris*, Hebr. I. superscriptio: Sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ in eo descripti. Secundo, ut denarius rotundus est, ita Christus *nec initium dierum nec finem habet*, ut ait apostolus Hebr. Tertio, ut pecuniæ obediunt omnia, ita Christo omnia subjecta et in manus tradita sunt. Hanc mercedem præmisit ipsemet Christus, Joannis XIV. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum.* Hanc

non aliam expetivit D. Thomas Aquinas pro labore scriptionis suæ. Cum enim Christus ei diceret: *Bene de me scripsisti Thoma; quam mercedem postulas?* respondit Thomas: *Domine non aliam nisi teipsum.*

Secundo, vitam æternam seu beatitudinem cœlestem: primo, quia denarius numerus est perfectus claudens in se omnes numeros, beatitudo est status omnium honorum aggregatione perfectus. Secundo, denarius rotundus est, sine et initio carens: similiter beatitudo æterna. Tertio, quia ut denarius imaginem regis, ita beatitudo Deum in se continet ac possidet.

Porro hic denarius *diurnus* dicitur primo, quia pro labore vitæ ejusque, quæ uni diei comparatur, redditur. Secundo, quia in die gratiæ pro eo laborandum. Tertio, quia in ea felicitate nox et ignorantia nulla.

Unus est, quia una omnium essentialis beatitudo: quam tamen alii minus participant, sicut stellæ lumen solis; vel sicut diversi lectores, qui eundem librum legunt, aliter enim cum legit rhetor, aliter grammaticus, aliter theologus, etc.

Anticipatio mercedis diversitatem accidentalis præmii significat.

IX. Quando datur illa merces? Respondetur in fine diei post laborem, id est, illico post mortem; id enim indicat parabola et probatur in complem. S. Th. III. p. q. LXIX. art. II. ex apostolo, qui ait terrestri domo dissoluta habere nos in cœlo domum non manufactam, II. Cor. V. Et frustra alioquin idem apostolus cuperet dissolvi et esse cum Christo, si ante extremum judicii diem cum eo esse non potuisset, ad Philip. I. Quare sicut in corporibus est gravitas et levitas, quibus statim unumquodque fertur in locum suum, nisi impediatur: ita in animabus est meritum vel demeritum quibus perveniunt ad præmium vel ad penam, quæ sunt finis actionum ipsarum, statim resoluta vinculo carnis, nisi

aliquo impediatur, quod prius purgari deo teat.

X. Quomodo novissimi primo recipiunt mercedem? Resp. primo, quia constituti sub nova lege minus expectare debent, sed ab obitu statim suo præmium accipiunt: veteres patres in limbo expectare adventum Christi debuerunt. Qui post unam horam accipit a te beneficium, prior utique accepit, quam qui post horas duodecim.

Resp. secundo, quia propter majora merita ad altiorem gloriæ gradum evehentur et ita præcedent illos.

Verum quomodo novissimi breviori labore plus meriti pararunt? Resp. quia res magis arduas et difficiles tametsi breviori tempore gesserunt. Patet in anachoretis, martyribus, confessoribus, virginibus nostris, quorum certaminibus et heroicis factis comparari veterum patrum facta nequeunt, nisi admodum paucorum. Status matrimonii laboriosior est statu virginitatis, non tamen majoris meriti, sed minoris longe.

Ad hæc non considerat Deus quantum, seu ex quanto quis operetur. Caritas ejusque fervor mensura est honorum operum. Cursor excitatus facile assequitur, aut etiam prævertit claudum vel tardigradam viatorem, qui aliquot horis præripuit iter.

XI. Quid sibi vult murmur operariorum? An in cœlo murmur? Respondimus ad hoc supra conc. IV. hujus dominicæ initio.

XII. Quis vineæ procurator? Resp. Christus, qui unumquemque in vitæ suæ vespere, morte scilicet, vocat ad mercedem, ac demum in fine mundi vocabit simul omnes, tuba illa angelica: *Surgite mortui, venite ad judicium.* Procurator hic fidelis est, quia neminem decipiet: sapiens est et omnia pervidet, unde a nemine decipietur, qui sicut unicuique reddet mercedem suam, ita nobis rogandus ac placandus est, ut reddat nobis cœlestem.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

INCITAMENTA AD OPERANDUM IN VINEA DOMINI.

I. Quia nulla hic causa otiosi. — II. Quia hic locus operandi. — III. Quia otium culpabile. — IV. Quia tempus pretiosum. — V. Quia otium perniciosum.

THEMA.

Quid hic statis tota die otiosi. Matt. XX.

Isaias postquam, cap. XI. descripsit Christum

Dominum variis Spiritus s. donis repletum, addit hoc, ad donum fortitudinis ejus spectans: *Et percutiet terram virga oris sui.* Ecce vero terram? Lingua enim aerem, non terram verberamus. Mihi sane videtur in terræ vocabulo contemplatus esse homines ignavos atque otiosos. Sola enim terra e quatuor elementis, suo semper loco velut ignava stat immobilis. Aquæ fluent, aer ventis agitur, ignis inquietus semper altum petit, terra sola se non movet; otiosi ergo hominis speciem representat. Hanc terram, ut

prædixit Isaias, cap. XXII. dicens: *Terra, terra, terra audi sermonem Domini,* percutit Christus Dominus virga oris sui, cur in persona patrisfamilias increpat otiosos dicens: *Quid hic statis tota die otiosi?* Quot verba, tot sunt verbera, et stimuli ad operandum incitantes otiosos, quos hic expendemus.

I. *Quid?* Hoc est, ob quam causam? Quasi diceret: Nullam prætereundere potestis. Operarii alii respondere possent primo: *Nemo nos conduxit;* non invenimus dominum, libenter operaturi, si quis nos conducere, unde gratulantur sibi, cum habent stabilem dominum, cui laborent. At nos hoc dicere non possumus, dominum habemus Deum, a quo conducti sumus, ex quo per baptismum ingressi Ecclesiam sumus, de mercede cum eo pacti sumus. S. Anselmus adhuc puerulus per visum ascendere sibi in cœlum, quasi montis cacumini incumbens, visus, in ascensu cernens messoris regis cœlestis nimis remisit rem facere, minatus est se eos coram rege accusaturum, quod tanto scilicet domino tam negligenter laborarent, ut in ejus vita, Sur. 21. april. Quæ visio indicabat industriam ejus indolem, otio inimicam, et cœli Regi, Deo, gnaviter servire cupientem; interim docet ex ore infantis quam solerter nos laborare et servire tanto domino et remuneratori debeamus: jureque meritissimo increpandos, qui hoc non præstant.

Secundo, justam sibi mercedem non offerri. Neque hoc valet; quia quidquid fructus labore nostro paramus, id totum nostrum est. Quis dominus hoc pro mercede dat operario? Merces est denarius, id est, status omnium honorum aggregatione perfectus, sicut denarius numerus est perfectus. Is rotundus est, quia merces infinita. Imaginem principis continet, quia visio ac fruitio Dei. Diurnus est, quia brevi labore comparatur. Neque enim jam octingentis aut nonagenticis annis vivimus, ut homines ante diluvium. Currunt operarii multorum dierum itineribus ad regiones, ubi magna merces datur; ubi vere majorem mercedem invenimus, quam apud Deum?

Tertio, multis sibi diebus, v. g. per hiemem aut in diebus saltem festivis laborandi occasionem non esse. Neque hoc; omni enim tempore laborare et lucrari cœlum ac parare merita possumus. Felices illi reputantur, qui toto anno et singulis diebus lucrum facere queunt: quomodo enim non ditescant? Nemo hoc concessum est. Quid non darent inferi aut etiam purgantes animæ, ut jam operari aut redimere pœnas suas labore possent? Hoc est, quod dixit Dominus, Luc. XVII. *Veniet dies, quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis.* Qua ra-

tione? *Dies enim iste dies operationis est: dies autem ille, qui sequitur, dies est feriarum,* ut ait S. Chrys. homil. XXXIV. oper. imperf. in hoc evangelium.

II. *Hic primo, hic in foro, et loco negotiationis:* forum enim a ferendo dictum, ubi aut afferunt aut auferunt aliquid homines, sicut et formicæ a ferendis micis dictæ. Adam in paradiso operari debuit, (ita enim dicitur Gen. II. *Posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum;*) quanto magis nos in exilio? Ergo Adam, quia otiosus erat, ejectus est e paradiso: e contra Paulus, quia in laboribus et ærumnis degebat, in paradysum raptus est, ut advertit S. Chrysostomus, homil. I. ad popul. Porro exul e paradiso Adam, imperator orbis erat, et tamen laborare debuit. Ad hæc ipse, ejusque posteri in pœnam peccati ad labores, quasi ad metalla damnati sunt. *In laboribus comedes ex ea (terra) cunctis diebus vitæ tuæ: item: In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Quare filium Adæ videtur se negare, qui recusat laborare. Audiamus S. Bernardum, serm. de sapientia et prudentia: « Cum legatur, inquit, Adam in loco voluptatis ab initio positus, ut operaretur, quis sanus sapiens, filios ejus in loco afflictionis ad feriandum positos arbitretur? »

Secundo, *hic in foro, ubi varia hominum coluvies, ubi alter alteri laqueos tendit, et provocat ad potandum, ludendum, supplantandum. In medio laqueorum ingredieris,* ait Ecclesiasticus, cap. IX. de eo, qui in oculis principum versatur. Idem etiam de aliis, qui in hujus mundi forstant, recte dici potest, præsertim si otiosi sint: nam priscorum monachorum hæc erat sententia: *Operans uno dæmone, otiosi multis pulsantur.* Testis est Cassianus, libro X. institut. cap. XXIII. Hinc S. Antonius a Deo audivit: *Antoni, quæris Deo placere? Ora, et dum orare non poteris, manibus labora et semper aliquid facito.* Quamdiu David exercuit se in militia, non insultavit illi luxuria: sed postquam otiosus in domo remansit, laboravit adulterio, et homicidium commisit. Samson dum contra Philisthæos bellavit, non potuit capi ab hostibus, sed postquam dormivit in sinu feminæ, et otiosus cum ea remansit, mox capitur et cæcatur ab hostibus. Salomon dum occupatus esset in ædificatione templi, non sensit libidinem: sed quamprimum vacavit ab opere, sensit insultum luxuriæ, et adoravit deos alienos.

Tertio, *hic, in Ecclesia et horto Christi, ubi non nisi frugifera arbores esse debent.* Scimus enim quale judicium tulerit Deus super ficum, triennio in vinea toleratam, nec tamen fructus dantem: *Succide illam,* ait, *ut quid etiam terram occupat?*